



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendivm Summæ Card. Toleti**

**Minucius, Genesisius**

**Sammieli, 1613**

Quid Pensio & quotuplex cap. 82.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41701**

Ecclesiæ, qui plura beneficia habet  
quæcunque illa fuerint, tutus erit  
& in cōsciētia, & in foro exteriori.

*Quid Pensio, & quotuplex.*  
Cap. 82.

**P**ensio est ius percipiendi fru-  
ctus ex alieno beneficio. In  
beneficio autē sunt duo, di-  
gnitas ecclesiastica, quæ titulus vo-  
cari solet. & ius percipiendi fru-  
ctus ex bonis Deo dicatis, & hoc  
à priori separatū dicitur Pensio, &  
qui hoc ius habet, vocatur Pēnsio-  
rius. Pensio triplex, téporalis spi-  
ritualis & media. Téporalis datur  
etiam laicis. militi. ac duci pro  
Ecclesiæ militantibus & aliis Ec-  
clesiæ negotia tractantibus. Spi-  
ritualis datur Concionatoribus,  
Parochis, & Sacristis, &c. Media  
verò, ob resignationem, & cessio-  
nem beneficii. Hæ autem pen-



siones á beneficio differunt: nam habens beneficium, tenetur singulis diebus horas canonicas recitare, non potest beneficium vendere, nec commutare pro pretio temporali, quamuis possit cum altero beneficio, vel dignitate spirituali, & si uxorem ducat, perdit beneficium. At Pensio temporalis, non obligat ad horas: potest vendi pro re temporali, non autem cum beneficio commutari ecclesiastico, nec per matrimonium perditur. Pensio spiritualis ad horas non cogit, sed tantum ad ministerium propter quod datur, non potest vendi, nec redimi. nec cum beneficio commutari, & per matrimonium perditur, si ministerium illud non possit cum matrimonio consistere. Pensio media, ad horas non ligat, sine Papę licentia non potest vendi, qui tamen habet beneficium, redimere eam potest á pensionario si ipse velit, ei



soluendo pensionem quinque annorum non potest commutari cum beneficio, & iure ipso perditur per matrimonium, licet alicubi consuetudo sit in contrarium, sed perperam, & tales pensionarios obligavit Pius V. ad recitandas horas B. Virginis.

*Quomodo licite pensio recipiatur. Cap. 38.*

**A**D pensionem, ut licite possit percipi, tria requiruntur. \*Primum. Papæ dispensatio, quam nullus alius prælatu dare potest. \*Secundum, Causa legitima. Papa namque non est bonorum Ecclesiæ Dominus, sed dispensator: ideo si non adsit legitima causa, pensionarius non est tutus in conscientia, causæ autem huius rei legitimæ plures sunt. Prima, quando aliqui de beneficio litigant & interim Ecclesia priuatur min